

Die 28 Aprilis anno MDCCCLXXVII
Horâ 9nâ

IN AULA COLLEGII Ss. TRINITATIS.

EXERCITIUM JURIDICUM
TENTAMINI PRO GRADIBUS PRÆMITTENDUM,
PROPOSITIS EX VARIO JURE THESIBUS,

E T

SPINOSIS REI NUMMARIÆ MEDII ÆVI AMOENITATIBUS
PRO ADMINICULO JURISPRUDENTIÆ,

QUOD

PRÆSIDE ME

GEORGIO CHRISTOPHORO NELLER,
J. U. D. ad Ss. Theolog. Doctoratum admisso, Ss. Canon. pro-
fessore ordinario, Facultatis Juridicæ seniore, insignis Ecclesiæ
collegiatæ ad S. Simeonem Treviris canonico inter presbyteros
capitulari, & bibliothecario, Rmi & Srmi Domini Archiepis-
copi Trevir. S. R. I. Principis Electoris consiliario intimo,
& examinatore Synodali &c.

S U B I C T

NOBILIS, ORNATISSIMUS AC PERQUAM ERUDITUS
D. MATTHIAS PELZER, BORCETANUS PROPE AQUISGRANUM,
juris utriusque, nec non historiæ, S. R. I. publici & feu-
dalis jurium Auditor.

Augustæ Trevirorum, typis ESCHERMANNIANIS.

MAGISTERIUM JURIDICUM

OPPUGNANTES.

NOBILES, ORNATISSIMI, ac PERERUDITI

D. CHRISTOPHORUS HAW, Trevir, AA. LL. & Philos.
Magister, jurium emeritus, & practicus.

D. FRANCISCUS NICOLAUS STEFFEN, ex Valle Ehren-
breitstein, J. U. nec non histor. S. R. I. publici & feudalis
jur. Auditor.



EX JURE GENTIUM. TEXTUS.

Ne is quidem hac lege (*Aquiliā*) tenetur, qui casū occidit, si modō culpa ejus nulla inveniatur; nam alioqui non minūs ex dolo, quam ex culpa* quisque hac lege tenetur. §. 3. *Inst. de leg. Aquil.*

* Malus hic est ordo positionis verborum & rerum, quam, advertente *Vinnio*, compositores textuum nostrorum non semel commiserunt, ut princ. *Inst. de Hered. Instir.* in verbis: *Heredes instituere permisum est, TAM LIBEROS homines, QUAM SERVOS*, in l. 7. §. 8. ff. de part. ubi: *nou minūs EX VERBIS quam EX MENTE* convenientium; in l. 3. §. 2. ff. de incend. ruin. ibi: *nec enim minūs IN MARI* quam *IN VILLA* per latrunculos inquieramus; in l. 85. ff. de solut. quæ ita: *solidum non solvitur non minūs QUANTITATE quam DIE*. Hac notatione super-sedisse, nisi multoties hunc lapsum, etiam in his, qui scribam stylī habere se putant, in latino & germanico sermone, tam quam, sowohl, als, & non minūs quam, nicht minder, als, deprehendisse. Regula est, in hoc loquendi modo præponi debere illius rei verbum, de quā velut comparativē minori dubitari posset, au ipso comprehendendantur sermone.

SCHOLIA.

I. Ait textus: si modō culpa ejus nulla inveniatur: ergo nec levissima. l. 44. ff. b. t.

II. An hoc juris naturalis est, an positivi tantum?

Bx. *Juris naturalis*; quo æquum est, ei potius nocere interitum rei, qui aliquam culpam admisit, quam qui prorsus nullam.

A

III.

III. Nec erit obligatio reparandi damni diversa ex eo, quod sit culpa operis tantum, non operantis, aut hujus *coram Deo tantum veniale peccatum*, non mortale; aut pro modo & gradu culpe; neque enim minus sub mortali tenetur totum damnum reparare, qui *veniali culpae incuriae dedit*, quam qui mortali. Arg. *Cap. fin. de injur. & damn. dat.**

* Hinc novi, in hac diocesi, & duabus ejus instantiis condemnatum fuisse ad alimenta uxori & prolibus pauperibus moderatae praestanda Parochum, qui crepusculo exiens ad infidiandum bombardâ feris (aus die Laur) eminus paciente credens in dumeto capreolum occidit capram, & globo per eam trajecto retro eam operarium, qui fune tenuerat capram suam. Condemnatus est non tam ex eo, quod Clericus venatum ire non debuisset, ut consulti ab eo *Göttingenses* partim censebant, quam quia ipse in facti specie posuerat, se, cum brevioris visus esset, prius adhibito telescopio (*Fernglas*) explorasse, tera sylvestris esset, an domestica, quæ paciebat, arque fallente explorationis fide deceptum se contra omnem suspicionem fuisse. In specie ergo proposita *qualitas Clerici* erat impertinens, *culpa vero* subfuit, cum sciens se non videre eminus sat certò, hujusmodi infidiis committere se non debeat.

EX UTROQUE JURE.

I. Princeps legibus solutus est. *l. 31. ff. de LL. l. 23. ff. de legat. 3.*

II. Non placet nobis hic *communis distinctio* inter vim legis *directive*, & *coactivam*: hoc ipsum quippe queritur, an *vis directive* legis verè obliget Principem.

III. Semper igitur legibus solutus est quoad *utramque obligationem*.

IV. Aliquando autem decet eum servare legem *ex verecundia*; tunc nempe, cum *lucra* captat, veluti legata ex imperfecto testamento. *d. l. 23.*

V. Ast in largiendo nequidem ex hac virtute. Arg. *l. 14. §. 1. ff. de manumiss. l. 34 C. de donat. Nov. 105. cap. 2.*

Corollar. Valet igitur *Principis testamentum* quoad *solemnitates imperfectum*.

VI. Princeps Ecclesie, hujus legibus tenetur *obedire*, ut filius matri; suis vero constitutionibus vivere, non solum *ex verecundia*, sed etiam *sub peccato*.

CASUS

CASUS CANONICUS

ad Cap. *Juvenis* 3. de Sponsal.

TEXTUS.

Juvenis, qui puellam nondum septennem **DUXIT**, quamvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forsan tentavit, quod completere non potuit. Quia igitur in his, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus, tum propter honestatem Ecclesiæ; quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictam dubitationem, mandamus, quatenus consobrinam pueræ, quam postmodum duxit, dividas ab eodem.*

* Inscrifitur in vulgaris: *Eugenius Papa*, in 1. compilatione: *Eugenius III. Presbytero Esculapio*; & est ibi Cap. 16. h. t. Quoniam verò *Eugenius III.* anterior fuit *Alexandro III.*, ideo sexta nostra compilatio rectius retulit h. cap. in numerum 3. h. t. ante *Alexandri III.* decretales.

Casus longus hic ponitur à Bernardo Bottone.

Quidam juvenis duxit quandam puellam *VII annorum*, *sponsalia contrahendo* cum ipsâ, & attentavit cum ipsâ, quod completere non potuit. Tandem mortua fuit, vel dictus juvenis ab ea recessit, antequam post septimum annum sponsalibus consentiret, & cum aliâ consanguineâ illius pueræ matrimonium contraxit. Quærebatur, utrum possent simul remanere.

*Casus breves edit. Argentin. de an. 1485. Summarium
h. cap. sic ponunt:*

Nulla ratione consanguinitatis sponsalia inductæ *justitiam publicæ honestatis*. Vel sic, secundum Panormitanum: si major septennio cum proxima septennio, in quâ malitia supplet ætatem, sponsalia contrahit, ex his oritur *justitia publicæ honestatis*, maximè si commisceri tentaverunt.* Brevis communis sic summatur secundum literam: si major septennio duxit in uxorem minorem septennio, & eam traduxit ad domum, oritur ex tali contractu publicæ honestatis *justitia*.

Sic etiam habet *Corpus jur. Can. impressum*.

a 2

* *Glossa*

* *Glossa* verbo *juvenis* ait: *ita communiter summatur, sed in veritate summa-
rium non colligitur ex literâ.*

Nos ita summamus: Qui *matrimonium cum nondum septenni contra-
hit, aut sponsalia, is sibi inducit impedimentum publicæ honestatis;
dummodo sponsalia, & matrimonium consistant ex utriusque consensu.*

Collige I. *Ex ductione alicujus in domum præsumitur matrimonium.*

II. Hæc saltem affectûs præsumptio crescit per suspicionem copulæ at-
tentatæ.

III. *Sponsalia ante septennium valent, si malitia animi suppleat ætatem:
non valet matrimonium; quia malitia corporis non supplet ætatem.*

IV. Casum, prout eum figurat hic Emmanuel Gonzalez, non admitti-
mus: *Juvenis sibi nondum septennem puellam despensavit per verba de
futuro, eamque in domum traduxit, & affectu maritali pertractavit,
ita ut ex traductione in domum rumor oriretur, puellam ejus judicii esse,
ut malitia suppleret ætatem, & per consequens habilis ad sponsalia con-
trabenda crederetur. Juvenis postea puellâ defunctâ cum ejus consobrina
matrimonium contraxit.*

EX JURE CIVILI.

EX LL. GRAMMATICA.

I. **V**im graculorum & sturnorum dominus præstat colono l. 15. §. 1.
ff. Locat. cond.

II. Super verbo *graculus*, quam avem significet, disputat jucundus &
eruditus vir *Aegidius Menagius*, Andegavensis, *Amœn. Jur. Civil.*
cap. 38. latiùs. Heineccio ad Barnab. Brisson. verbo *graculus*, mirum
est de ipsis his graculis disputâsse inter se viros doctos, quum sint
notissimi. Vereor tamen, ne multis non sint noti.

III. Notissimus est quidem *corvus*, nigra avis, græcis *κόραξ*, plur. *κόρα-
ξες*, unde latinum verbum vix usitatum *Gracus* derivabatur *Menagio*
d. l.; ab hoc latino est Helveticum *Graacke*, Franconicum *Kraf*, i.e.
corvus, à quo Galli suum *Corbeau* acceperunt, quem Treviri vocant
Kob o producto; * alii verò Germani communiūs *Rab*, ** quæ vox
affinis

affinis est hebraicæ **רָאַחַ** Raab Deut. 14. v. 13. & omne corvini generis; ubi versio Germanica: und alles Raben Geschlecht; nec multum abludit alia vox hebraica **עֲרָבָה** Orev, Gen. 8. v. 6.

* Nomen *Kob* derivari potest à græco γάρ πετεινός, ut *corvos*, teste *Hesychio*, vocant Macedones, dum econtra alii Græcorum appellant *σκῶπας*. Si malis, duc ab Hollandico *Kauw*, *monedula*, *graculus*, unde Hollandicum “Kauwetteren”, garrire, & dic, pronunciatione gallicâ an per o Treviris familiariter, Trevericè *corvum Kob*. Sed *Linné* vocat *Kauw*, einte *Dobl*, alii *Dol*, *Dul*.

** Sic scribunt Germani pridem, sed puto, quod & alia orthographia non sit mala. Biblia theodisca primi typi Sæc. XV. habent *Rab* Gen. 8. v. 6. Prov. 30. v. 17. Cant. 5. v. II. Isai 34. v. II. SED 3. Reg. 17. v. 4. *corvisque præcepi*, ut *pascant te ibi*, und ich hab gebotten den Rappen, daß sie dich da spissen: sic de-nuo ibid. v. 6. Psalm. 146. v. 9. Rayen. Sophon 2. v. 14. Rap. Luc. 12. v. 24. Rappen: pluries ibi non occurrit, sèpius verò per p simplex aut duplicatum, quām per b. Si reflectamus, quod bodieque per metaphoram à *corvis* equos nigros cuncti appellemus Rappen, non Raben, deberemus conformiter *corvum* vertere per Rappen.

IV. Sed *corvus* & *gracus* non est legis nostræ *graculus*, diminutivo verbo: *graci*, morticina præamantes, raro vim unitam inferunt colonorum fructibus; sed *graculi* cum sturnis (*Staaren*) fruges, uvas, & olivas furantur, sic, ut ferantur *graculi*, dum sub noctem ad nidos pergunt, quolibet ungue olivam unam, & intuper tertiam rostro auferre; & has prædas agunt *immensa examina* eorum, teste *Plinio Hist. natur. Lib. 10. Cap. 29.*

V. *Cujacius Lib. XV. observ. Cap. 28.* rem obiter tetigit; tantum ex *Arato* dicens, quod *graculi gregatim* volent; ex quo *Menagius loc. cit. redarguit illos*, qui *graculos* putaverunt *gajos*, *les geaix*, *picas glandivoras*, *cinereis plumis*, *margine alarum cæruleo*, qui Germanis dicuntur *Heher*, ad *Nicrum Gutheher*, ad *Rhenum*, & *Mosellam* *Markolfen*, alibi *Holzschreyer*; quia istæ aves non volitant *turmatim*, & per *examina*, ut vineis notabile dampnum inferant, sicut *graculi*. Quà etiam de causâ *graculi* isti non sunt *picae*, *Elstern*, vel *Aklen*, licet illis corpore, garrulitate, & furtis auri argentique pares.

VI. Si *graculum* vis nosse, junge *Plinio Ovidium*: hic lib. 7. *Metamorph. canit*: *nigra pedes, nigris velata monetula pennis*: ergo nullâ parte alba est

instar corvi, potestque *corvus minor* vocari. *Monedulam* vero & *graculum* lib. 10. cap. 29. *Plinius* coniunxit, sine particula & mediante scribens: *IMMENSA* alioquin *finitimo Insubrium* (*Galliae transpadanæ* populi sunt) tractu *EXAMINA GRACULORUM MONEDULARUM*, cui soli avi furacitas auri, argenteaque *PRÆCIPUE* mira est. * Dicit *præcipue*, nam & corvi, & picæ illud furantur.

* Studiosè (id quod *Calepinus* verbo: *graculus* advertit) *Plinius* duo verba simul complectitur: *graculus monedula*, & verbis sequentibus *cui soli avi* significat unam speciem, quæ *graculus monedula* vocetur, quasi *Plinius* dixisset: *graculorum*, qui sunt *monedulae*. Unde & græca lexica suum κολοιδὲς vertunt, *graculus*, *monedula*; non omnis igitur *graculus* est *monedula*, licet omnis *monedula* sit *graculus*, nempe *graculus* denotat nobis *eine Krähe*, *communiùs Krähe*, *cornicem*, Gallis *une corneille*, *monedula* esse *Dole*, Gallis *un Choucas*; quia magnitudine corporis *graculus* est medius *corvum* inter & *monedulam*, confer *Linné Natur-Système* parte 2. class. 2. pag. 167. 173. 174.

VII. An aves istæ alicubi in Germaniâ vocentur *Kräckle*, aut *Kräcklein*, me latet: vocantur autem *Dolen*, vel *Dulen*, syncopatis duabus syllabis primis, & ultimâ literâ verbi *monedula*: * Gallis *graculus* dicitur *une gyole*, magis vero ad originem *un grai*, avis nigricans, de genere *cornicum*, lato longoque satis rostro, pedibus, plumisque nigra, nisi quod illæ, quæ ab occipite per collum defluunt in scapulas, cincrere nigræ sint. *Pomai* vertit: *eine Dohle*.

* Est in finibus Lotharingiæ versus Trevirensse oppidum *St. Wendel* celebris & antiqua Abbatia Benedictina, nomine *Tholey*, quo & rivus præterlabens gaudet: per allusionem ad nos en hujus avis in scuro suo Conventus habet duas monedulas, i. e. *Dolen*. Sic ergo scribi oportet *Doley*, vel *Dobley*, non *Tholey*, neque latinè *Theologense*, vel *Theologiense* monasterium, sed *Dolejense*, vel *Dolejense*. Noster S. Simeonis Sac. XVII. Canonicus *Joannis Linden* in suâ Mstâ Hist. Trevir. pag. m. 98. sic scribit: „ idem *Dagobertus* confilio S. *Modoaldi* construxit insigne monasterium in *Tolejâ*; de ejus nominis derivatione varia sunt opiniones; alii *Doleja à dolandis lapidibus*, & lignis in suâ constructione dictum volunt; alii à *Theologiae* studio *Tholey* dictum: ego ab altissimâ rupe sibi adiacente, in cuius vertice arx, à prospectu *Scharenburg* dicta, cernitur; *Hohelen* dictum primitus existimo, postea sive à *Theologiae* studio, sive barbarorum hominum corruptâ & distortâ voce & vocabulo, *Toleja* dicta sit, nec ne, parum interest. „ Vid. *BROWER. Annal. nostr. lib. 7. n. 27.* Mihi tamen non displicet deductio nominis à monedulis avibus *Dolen* & *Ley*, *peira*, *lapis*, quod in hac domicilium habuissent in agno numero *monedulae*, corvorum minimæ; dantur *monedulae*, quæ nobis vocentur *Stein-Dolea*, latinè *coracie*, à sing. *coracias*: hujusmodi fuerint illæ *Tholeyensis* sigilli.

VIII.

VIII. Sed à
dominus
R. Neg
pulvere

I. L ex

II. Casus
lardus,
terâ tra

III. Acc
non fi
calum
banc
EXCE
tum, &

IV. Sed
diolan.
nobis
Wifult
quiddi
tudin

V. Pet
Secu
dum
debea
quali
diffini
tus ba
tific,
exerce

VI. Qui

VIII. Sed à grammaticâ revertamur ad jus. An ergo in nostrâ Germaniâ dominus locans præstabit colono vim graculorum, atque sturnorum? Rx. Neg. Quia non est majoris rei impetus, cui resisti non possit, vel pulvere pyrio & globulis, vel alio modo fures hos abigendo.

AD TIT. XXXIX. LIB. III. CODICIS.

- I. Lex s. h. t. ait: *QUINQUE PEDUM PRÆSCRIPTIONE submotâ*, finalis iurgii, vél locorum libera peragatur intentio.
- II. Casus legis quis? Referente Glossâ verbo: *præscriptione*, Petr. *Bailardus*, qui se jactayit, quòd ex qualibet quantumcunque difficulti literâ traheret sanum intellectum, hic dixit: *nescio*.
- III. *Accursius*, cui nihil videbatur esse in jure, quod à se perceptum non fuerit, labanti interpretationi *accurrens*, sic in Glossâ figurat casum: *de minori spatio quinque pedum olim non agebatur: hodie per hanc legem illud tollitur; quia de minori spatio agi potest, non obstante EXCEP^TTIONE quinque pedum, si viderit de alterius finibus occupatum*, additque: & hoc dicit, nempè l. 5.
- IV. Sed illud jus prohibitivum, quod olim fuisse, Andr. *Alciatus*, Mediolan. JC., Tom. III. Opp. pag. 389. non credit; prout quoque nobis videtur divinasse *Accursius*, nullâ lege, nullo idoneo authore diffultus; cùmque de rebus multo minoribus darentur actiones, quidni etiam de usurpato ex vicini agro spatio 3 vel 4. pedum latitudinis, quæ per longitudinem multum importare posset?
- V. Petrus *Crinitus*, nomine verò *Riccius*, Florentinus grammaticus Sæculi XVI, lib. 25. de honest. discipl. cap. 4. explicat d. l. 5. ad modum l. fin. ff. fin. regund. de quinque pedibus, quibus arbor vicini abesse debeat à finibus: sed *Alciatus* loc. cit. pag. 390. à n. 9. *Crinitum*, quasi crinibus prehensum, abducit à choro JCtorum, dicens: *merito diffinitius, non esse bonum juris interpretem hunc Crinitum, sed consuliūs lunc facturum fuisse, si intra studiorum humanitatis cancellos constitisset, memor illius senarioli*: quam quisque novit artem, in hac se exerceat.
- VI. Qui verò capit *Alciatus* legem? *Quinque pedum*, inter loca confinia

finia stabilitorum, usucaptionem, in modum exceptionis oppositam, intelligit submoveri.

VII. Nos, cum reverentiâ à magistris nostris, *Accurso*, & *Alciato*, recedentes, & Crinitum suæ Musæ committentes, S. S. opinantur, submoveri præscriptionem, i. e. exceptionem, hanc: *inter meum, & tuum fundum pro finibus utrinque communibus intercedere debent 5. pedes:* ab hac exceptione posthac libera decernitur fore intentio finalis jurgii, vel praetensio locorum.

CASUS CIVILIS.

Binuba mulier, proles ex utroque marito habens, dum sexto, aut septimo mense inchoato uterum gerebat, inopinatò incidit manè in lethalem morbum, tortura & convulsiones totam diem passa sub vesperum expiravit; proles mascula cæsar, membris omnibus ritè formati, à matre perfectè separata, non respiravit, vocem non emisit, oculos non aperuit, caput, brachia, manus pedesve non movit; animadvertebatur autem pulsus in collo, corde, & umbilico, mox ligato; igitur operator chyrurgus eam pro vivente tinxit sacro lavacro absolute; post horæ quadrantem mortua est; magnitudinis erat, quâ solent esse *sexti mensis* partus: prætendit secundus maritus se cum prolibus sui thori solum hujus proliſ hæredem esse, illam verò matris; contradicunt est pro parte curatoris & tutoris prolium primi thori, tanquam non esset probata vita excisi: chyrurgus, obstetrix, & alia mulier, qui interfuerunt, jurato signa prædicta affirmârunt, dicentes vixisse hunc cæsarem: depositiones testium datae sunt consultis medicis, addito, ne verbo Hypocratis ex græco in latinum versi æquivoco uterentur, sicut plerumque allegatur, *partum seximestrem NON esse VITALEM* (Gothofred Nov. 39. notat) sed dicerent, *an VERE vixerit, necne*. Alter medicorum respondit, *negative in sensu medico*, instar ejus, cui amputatum sit caput; alter autem, *verè vixisse*, ex his signis. Curia sacerularis Trevirensis Septembri mense anno 1776. pronuntiavit pro marito & fratribus germanis contra proles primi thori. In simili Lippiensis an. 1600 & 1633. apud Bechmann. Exoter. exercit. Tom. 2. exerc. 13. n. 13.

Q. 1.) An recte? *v. Aſfirmat. per L. 3. C. de poſthum. junct. l. 12. ff. de lib. & poſthum. l. 6. prin. ff. de inoffic. reſtam. l. 1. ſ. 9. ff. unde cognati. l. 141. de V. S. Non obſtant l. 12. ff. de ſtat. hom. junct. l. 3. ſ. 12. ff. de ſuis & legitim.*

Q. 2.)

Q. 2.) Cūm' testes asseverare non sint ausi, quod hic cæsar utero fuisse gestus 182 diebus; cui incubuisse hoc casu probatio? ^{et} Non marito, sed curatori.

Q. 3.) Quid si quinti duntaxat mensis fuisse excisus, vivus tamen? ^{et} Adhuc fuisse cohæres matris, & hæredem fecisset patrem. Vid. arrestum Pariseense in *not. e. Gorbofr. ad nov. 39. cap. 2.*

EX JURE PUBLICO S. R. I.

I. **D**um Fridericus I. erat Bisuntii in Burgundiâ, magna commotio orta est ex legatione Hadriani IV. Papæ illuc destinatâ in personis duorum præcipuorum, quos à latere habuit, Presbyt. Cardinalium, Rolandi S. R. E. Cancellarii, postea Alexandri III, & Bernardi, virorum divitum & gravium, prima die humanissimè suscepitorum, alterâ verò ab imperiali audientiâ cum ingratias in Italiam remissorum. *

* Rem describit Radevicus, Canon. Frising. continuator Ottonis Frising. Episc. lib. 3. cap. 8. 9. 10. 15. 16. 22. 23.

II. Mirabilis Aulæ cæsareæ videbatur & peregrina haec legatorum, quæ fuisse dicitur, salutatio, *Salutat VOS beatissimus Pater noster Papa Adrianus*, & universitas Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ, ille ut pater, illi ut *FRATRES*. * Radevic. lib. cit. cap. 8.

* Quamvis enim Imperator, quæ catholicus, sit frater omnis etiam plebeji catholici; nemo tamen audet ipsum salutare fratrem, tametsi Cardinalis sit: illa ad Ecclesiam matrem omnium regeneratorum filatio, indéque resultans respectiva fraternitas fit *coram Majestate* litera muta: & quoniam Cancellarii nonnisi bene meditata verba proferunt, ideo Cancellario Imperatoris haec allocutio Romani Cancellarii visa est majus quid, quam quod Cardinalis versùs Imperatorem debuisse, spirare.

III. Post hanc salutationem, quam pauca alia exceperant, produxerunt Legati literas apostolicas, queis Papa conquerebatur, Lundonensem in Scaniâ (zu Lunden in Schonen) Archiepiscopum, * à visitatis Ss. Apostolorum liminibus redeuntem, in Burgundiâ captum fuisse, & adhuc in custodiâ detineri, turpiter traçatum, atque exsoliatum, dissimilante ad hæc impia facta Imperatore, quem tamen res per orbem vulgata latere non possit; maximè cum super hoc execribili, & in Teutonicis partibus vix aliquando attentato flagitio ante paucos dies Papa jam semel scripsisset Imperatori.

B

* Hujus

* Hujus nomen *Radevicus* notat sola literâ initiali E; fuit autem *Eskillus* tempore *Canuti V.* & *Suenonis III.*, collegarum Regni Danicæ, vir, turbatis rebus alternanti fortunæ serviens, cuius non mediocris apud Curiam Romanam vigebat auctoritas. Hic deum senectute fractus, abdicato, de licentia *Alexandri III.* agè tandem concessâ, Archiepiscopatu, factus est monachus *Clarævallenfis*, sicut *S. Bernardo* promiserat. De hoc antistite *Eskillo* evolve *Saxon. Grammatic.* *Hist. Dan.* lib. 14. fol. m. 180. recto, fol. 182 verso, fol. 184 verso, fol. 185 recto, fol. 186. Ad hunc direxit *Alexander III.* magnificam illam decretalem, ex quâ cap. I. de Renunciat. sumptum est: *Te tanquam emeritum postulas relaxari; scito, nos credere,* & pro certo tenere, quod tutius sit hoc tempore, si commissa tibi ecclesia sub umbra tui nominis gubernetur, quoniam si alteri novæ incognitæ quo personæ in raneo discrimine gubernanda committeretur, maximè, quia in te vigor devotionis & fidei, etiam corpore senescente non deficit, sed, vergente deorsum conditione corporeâ, fervor spiritus in sublimiora descendit. Non pertinet huc ille casus renunciationis, de quo *Honorius III.* in cap. 46 de elect.; & erat *Andrea Sunonis* Archiep. itidem *Lundensis*, non *Lugdunensis*, ut rectè advertit *Gonzalez* in ad. capp. Ejus autem conjectura non magis rem tetigit, quâ contra fidem plurium exemplarium contendit, mutandam fore inscriptionem sic: *Lugdunensi Archi-Episcopo*, intelligendo cessionem *Joannis de Bellesmains*, quam hic ab *Alexandro III.* non impetrasset: ipse autem *Gonzalez* in fin. n. 1. scribit, posse etiam illum textum referri ad nostrum *Eskillum*. Oppidò erravit *Spondanus* in Epitome *Baronii*, quin & hic ipse, ad annum 1157 scribens, illum E, de quo literæ *Hadriani IV.*, fuisse *Londinensem in Anglia* Archiep. Satis constat, quod *Eskillus* Româ reneans tulerit injurias in *Burgundiâ*, à quibus verò nobilibus latrunculis, hastenùs non inveni. *Otto de S. Blasio coævas* cap. 13 scribit: „Anno Dominicæ incarnationis MCLVI Episcopus *Londonensis*, cum quodam alio Episcopo à Romanâ Curiâ recedens, ac per *Burgundiam* repatriando iter faciens, à quibusdam capitul. rebisque omnibus denudatus lucris gratiâ in custodiâ mittitur, dissimulante Imperatore, querimoniamque pro hac re parvi pendente. Qua de causa Dominus Apostolicus Legatos suos ad Imperatorem misit; qui *Bisuntium*, ubi generalem Curiam Imperator tunc temporis habebat, venientes, literas Apostolicas Imperatori coram Principibus representantes, quibus pro dissimulata captivazione *Lunionensis Episcopi* redargutus, Imperium de manu Apostolici se recepisse admonetur. &c., Sed Papa non uelit hanc rem posthac suis in literis, ad Imperatorem porro dicens.

IV. Causam hujus in sumendâ vindictâ dissimulationis, & negligentiæ penitus ignorare se professus est Papa; suspicabatur tamen, & verebatur exinde, ne Imperator suggestione perversi hominis indignationem aliquam conceperet adversus *Hadrianum*, & *Romanam Ecclesiæ*, vel rancorem.*

* Quod tunc aula Cæsarea male contenta fuerit Romanâ Curiâ, ostendunt subsecuta facta: ipsa Dani Archiepiscopi prosector Romanam ad *Adrianum Papam*, numerus in Dani Legatum Apostolicum, & eo quidem tempore, quo res inter *Canutum*

sum V & Sueuonem Reges, cui postremo valde amicus erat Imperator, nondum in securâ quiete fuerant positi, Friderico suspicionem mouere potuit contra Eskilum, ne nova moliretur in Daniâ, quam Fridericus cogitavit harum turbarum ope feudum Imperii efficere.

V. In iisdem verò literis Adrianus IV. in memoriam revocavit Friderico benevolam ejus promotionem ad Imperium his verbis: debes enim, GLORIOSISSIME FILI, ante oculos mentis reducere, quād gratanter, & quād jucundè alio anno mater tua, sacra Romana Ecclesia, te suscepit, quād cordis affectione tractaverit, QUANTAM TIBI DIGNITATIS PLENITUDINEM CONTULERIT & HONORIS, & QUALITER IMPERIALIS INSIGNE CORONÆ LIBENTISSIME CONFERENS, benignissimo gremio suo TUÆ SUBLIMITATIS APICEM studuerit confovere, nihil prorsus efficiens, quod regiae voluntati vel in minimo cognoscet et obviare: neque tamen pœnitet nos desideria tuae voluntatis in omnibus implevisse; sed si MAJORA BENEFICIA EXCELLENTIA TUA de manu nostra suscepisset, si fieri posset, non immerito gaudeveremus.*

* Verba, extra titulos, majusculis literis expressa fuerant lapis offensionis; cum primū enim ars politica quempiam sibi suspectum existimat, jam ejus dicta, scripta in deteriore partem intelligit: causa adventus eorum (legatorum) speciem sinceritatis videbatur habere, sed fermentum, & occasionem malorum latuisse postmodum evidenter deprehensum est, inquit ibi Radevicus cap. 8, & cap. 10. Tota literarum continentia non parum a credibili habere, & occasionem futuri mali jam jam fronte suâ præferre videbatur.

VI. Eas lectas Reinaldus Imperatoris Cancellarius fidâ satis interpretatione, ut scribit Radevicus, exposuit Principibus, qui aderant; quâ præter alia verbum *beneficia* eò trahebatur, quasi Adrianus Papa intellexisset, abhinc anno Imperium à se PRO FEUDO collatum fuisse Friderico Suevo. *

* Causa hunc sensum suspicandi, & in eum Principes inducendi, erat 1.) quod nonnulli Romanorum temere affirmarent, Imperium Urbis & Regnum Italicum Reges nostros hactenus donatione Pontificum possedisse. 2.) Quod in palatio Lateranensi reperiretur pictura de Imp. Lorbario II, super quam versus:

Rex venit ante foras, jurat prius Urbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Quæ Friderico Romæ monstrata cum vehementer dispiceret, omieâ prius invectiōne præcedente, memorant justissime Papam, ut tam pictura, quam scriptura è medio tolleretur.

VII. Hinc orta indignatio inter Optimates Regni commovit eos ad palam contradicendum legationi tam insolite locutæ; cùmque Legatorum alter, ut fertur, reposuisset, & quidem, ut scribit Otto à S. Blasio, stolidissimè: *A quo ergo habet, si à D. Papa non habet Imperium?* eò processit iracundia, ut Comes Palatinus Bavariae Otto V, sive major, à Wittelsbach * propè exerto gladio mortem legato intentaret; nisi Fridericus interposita autoritate compescuisset tumultum. **

* Contra rebellantem Henricum Leonem Bajoariæ Ducatum an. 1180 à Friderico I. nactus est iste Otto.

** Otto Palarinus de Wittelingsbach, qui gladium majestatis Imperatori adstans tenebat, ipso gladio evaginato, impetu in Cardinalē factō, vix ab Imperatore retentus est, quin exitio Cardinalem dederit, scribit idem de S. Blasio.

VIII. Imperator Legatos securitate donatos ad habitacula deduci, at primo mane viā suā proficiisci praecepit, cum mandato, ne bac illac in territoriis Episcoporum vel Abbatum vagarentur, sed rectâ viâ reverterentur ad Urbem, * quibus profectis, Fridericus per universum Regni ambitum encyclicas desuper dedit. **

* Otto de St. Blas. Tandem multis injuriis imperiti à conspecta Cæsarū eliminatur, divertendique ad episcopia vel caenobia quæstus gratid occasione omniuo inverdiā, viâ regiā Romanā reverii jubentur.

** Has per extensum refert eod. Cap. 8. Radevicus: in iis Fridericus testatur, mortis periculum se ante velle insurrecere, quām suis temporib⁹ tantæ confusoris opprobrium sustinere. Factum imperati Legatis directi reditā ad Urbem hisce justificat: quia multa paria literarum apud eos reporta sunt, & schedulae sigillatae, ad arbitrium eorum aliae scribenda. (des cartes blanches) quibus sicut hærensis consuetudinis eorum fuit, per singulas ecclesiæ Teutonici Regni conceptum iniquitatis sue virus respurgere, altaria denudare, vasa Domus Dei aportare, crucis excoriare u. debauit, ne ultra procedendi facultas eis detur. Quæ cùm in factō consistant, eis non immoror. Singularem epistolam desuper misit Imperator ad Hillinum Archiep. Trevir Apost. Sedis Legatum, nimis acerbam, quām lege in Tom. 1. Hist. Dipl. Trevir pag. 58. En unum passum, ut velut ex ungue coeteros affines. Ecce auditis blasphemiam, recolite librarios, & cunctamini antiquarios, & videte, si aut' tu sit tale verbum in diebus eorum, in diebus antiquis. Sed nec patres nostri annuntiaverunt nobis, quād unquam Regnum alicui Augustinum ab aliquo Apostolicorum BENEFICIATUM sit, sicut iste vesuæ mentis vir scripsit, SE NOS INBENEFICIASSE, pro eo solo, quād solam unicōnem per reverentiam B. Peri ab eo accepimus &c.

IX. Ex his Q. 1. An erat causa propterea tantos motus excitandi?

Bx. Neg.

¶. Neg. Sed si quid in verbis: *majora beneficia*, contentum fuisset æquivoci sensus, id bello modo replicationis Cancellarius Imp. in partem suo Principali favorabiliorem inflectere potuisset.

Q. 2. An picturæ *Lotbarii II.* superscriptio erat æquo animo ferenda?

¶. Neg. Quia Imperator per coronationem non fit *homo*, id est, *vasallus Papæ*.

Q. 3. An vera erat nonnullorum Italorum sententia, *nostros Reges hactenus possedit Romanum Imperium, & Regnum Italiae ex donatione Pontificum?*

¶. De *Regno Italiae* falsa erat: in *Romanorum* verò *compendiosum admodum Imperium donationis* verbum non quadrat; cùm hæc sit liberalitas nullo jure co- gente facta l. 29. ff. de donat. Fuit potius *merces defensæ Urbis, & Sedis Apo-* *tolicae contra Berengarium Italiae Regem & gratia Romanis facta per Ottонem I,* quod Imperium illud sibi delatum acceptarit, pacisque convento Germania per- petuū annexum fore voluerit; alijs Romanum hoc Imperium dudum periuisset. Successores in Regno Germaniae, ritè electi & coronati, exigunt dignitatem Im- perii ex debito *justitiae*, & pacto Ottonis M., non pro *gratia Papæ, & Urbis*.

Q. 4. Quid de principio *Friderici Imp.*, suam potestatem esse à Deo?

¶. Incertum, quod immediatè, certum, quod saltem mediante Principum Germaniæ electione concordi, & dicto pacto Ottonis cum Papâ Joannis XII, Prin- cipibus, populōque Romano.

Q. 5. An ergo nullo gratitudinis vinculo *Adriano IV* obligatus erat *Fridericus*?

¶. Quin imò multo: nam illius consilio & facto coronatus est Imperator, atque possessionem throni, & Urbis accepit *circa consensum Senatorum: legatum* cap. 21, lib 3. Radevici superba Legatorum Urbis ad Imperatorem, inter Sutrum & Romam cum prætentantium, oratio, quæ cùm ad verba pervenisset: *debes itaque primò ad obserandas meas bonas consuetudines, legesque antiquas, - mibi ab anteceſſoribus tuis Imperatoribus idoneis instrumentis firmatas, ne barbarorum violen- tur rabie, securitatem præbere; officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio acclaman- dum erit, usque ad QUINQUE MILLIA LIBRARUM* (sunt modernorum ar- genteorum unicalium Gallie $\frac{1}{2}$), in unamquamque libram 240 denarios cesareos,

five 10 dictorum uncialium, computando) expensam dare, injuriam à republica, etiam usque ad effusionem sanguinis, propellere, & hæc omnia privilegiis munire, sacramentique interpositione propriæ manu confirmare. Hæc illi cùm per profop- pœiam Romæ dixissent, indignatus Fridericus abruptit, & ad omnes propositiones pro suā majestate respondens, Legatos Romam remisit vacuos, qui accepto com-

meatu à Curiā regrediebantur ad Urbem. Rex dolum præsentiens, consulendum super hoc negotio patrem suum Romanum Pontificem decrevit; cui ille: Romanæ plebis, fili, abduc melius experieris versutiam; cognosces enim in dolo eos venisse, & in dolo rediisse; sed Dei nos adjuvante clementia, dicenis, comprehendam sapientes in asturiam suā, prævenire eorum poterimus versutas insidias: maturatq; igitur præmittantur fortis & guavi de exercitu juvenes, qui Ecclesiam B. Petri Leoninūque occupent castrum: in præsidis equites nostrī ibi sunt, qui eos cogitā voluntate nostrā statim admittent: præterea OCTAVIANUM Cardinalem presbyterum, qui de nobilissimo Romanorum descendit sanguine, fidelissimum tuum, eis adjungemus. Hęc Radevicus, qui & cap. 22 narrat seditionem civium post peractam coronationem, cui ipsi non aderant, quorum mille penè casi sunt, aut mersi Tyberi, capti fermè ducenti, sauciati innumeri, cæteri in fugam versi, Germanis tam immaniter, quam audacter Romanos sternentibus, ac si dicerent: accipe nunc Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum: hęc est pecunia, quam tibi Princeps tuus pro tuā offert coronā. Sic emitur à Francis Imperium. An hujus rei gratam recordationem à Friderico non meruit Adrianus?

EX JURE FEUDALI.

Disputatur, an si rūsus simul, & mutus feudum dare possit? R. Si natu sit talis, N. si ex accidente, rationis compoti superveniente, A.

EX JURE CRIMINALI.

- I. Clericus hodie non degradatur, nisi delictum ejus morte veniat puniendum.
- II. In terris, quae jure canonico vivunt, non potest delinquens Clericus mox puniri morte, quando laicus idem crimen committens eā puniretur.
- III. Cūm sint quædam crimina, propter quae Clericus degradari jubetur, & vindictæ Curiæ sacerdotalis extradi, in jure expressa, ab his non procedit argumentum ad æqualia, imo nec ad majora.

EX JURE TREVIRENSI.

- I. Tit. VII. nostri juris provincialis multa reputantur immobilia, quæ de jure communi sunt mobilia. Cur hoc? Unicè propter conjuges. Arg. §. I. d. Tit.
- II. Qui, soluto matrimonio, de acquestu immobiliū, medietatem auferunt plenā proprietate, in mobilibus autem, sive acquisitis sive illatis, absque distinctione, à quo sint illata, solutis inde debitibus

debitis stante thoro contractis, ultra medietatem adhuc portionem filialem.

- III. Itaque hæc de immobilibus Trevericis specialitas cessat, quando soli liberi inter se dividunt, e.g. vina alicujus œnopolæ in quacunque sint illa quantitate.
- IV. Sequitur, quod si filia œnopolæ suam portionem vini intulerit matrimonio, pro immobilibus sint marito, vini commercium non exercenti.
- V. Itaque defuncta illa, maritus dividit cum hæredibus ejus juxta Thelin II.
- VI. Quid si stante thoro conjugibus placuisset, illata vina distrahere, & ex pretio fundum acquirere, an uxor improlis, marito superstes, posset 1.) vina illata prætendere, ut sibi repræsententur, ab hæredibus mariti, & nihilominus 2.) dimidium acquisiti fundi? R. Negat. Sed solius acquestus habebit medietatem.

TRIA EXERCITIA

De indictionibus Adriani IV Papæ, 3. Decembri an. 1154 electi, 4. e. m. & a. coronati, ex Dan. Papebroc. S. J. Conat. crit. ad Catalog. R. R. P. P. part. II. pag. 24. n. 3.

- I. Privilegium primatiae confirmatæ in universam Hispaniam Toletano Archiepiscopo Joanni est datum Beneventi per manus Rolandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XIV Kal. Martii, indictione IV, Incarn. Domin. anno MCLIV, Pontificatus vero Domini Hadriani Papæ IV anno 2do.*

* Annus Domini 1154, Adriani 2dus, & indiction 4, non concordant. Error Papebrocii jacet in anno 1154, cum deberet esse 1155, & quidem numeratus, more Florentino, à 25 Martii an. 1155 usque ad 24 Martii 1156 inclusivè, sicut alii jam à Januario vulgo scribebant; cui anno 1156 indiction IV, paris cum eo initii, respondit.

- II. Ad Henricum Gradensem Patriarcham (sū Grado in ditione Veneta) epistola 39 est data Laterani per manus Rolandi S. R. E. Cardinalis Cancellarii idibus Junii Indictione V. Incarn. Dnice anno MCLVII, Pontificatus Domini Hadriani Papæ IV. anno III. *

* Die.

* Die 13. Jun. jam pari passu ambulabat annus 1157 Florentinus cum anno nostrī stylī: currebat à 4 Decembris 1154 annus Adriani 3ius; indictio V. initium cœpit cum anno.

III. Privilegium monachis S. Clementis de Casā aureā est datum Lateranū per manum ejusdem Rolandi II idus Martii Indictione VI. Incarn. Dom. an. MCVIII, Pontificatus vero Domni Hadriani Papæ IV. anno V.*

Die 12. Martii anni, nobis jam 1159, currebat stylo Florentino adhuc annus 1158 usque ad 25 d. m. Fluebat quoque annus V. Papæ usque ad 4. Decemb. 1159. Papebrochius concludit: *hoc privilegium vitio aliquo non caret in numero: si enim rectè scriptus est annus Pontificatus V, legi debebit indictio VII, ut annus Christi nominetur stylo Florentino, sive nobis 1159.* Atqui suppositis etiam illis, correctione inductionis VI per VII hic non esset opus, cùm in arbitrio concipientis fieret, vellētne eam incipere, & claudere cum anno 1158, an vero incipere à Septembri in anno 1158, & claudere eodem termino in anno 1159.

Regula Petaviana videtur Papebrochium turbat̄.

EX CHRONOLOGIA.

*R*einboldi Calendarium rusticorum notat, hoc anno 1777 esse

1.) Indictionem in utroque Calendario V. & N. decimam, *

* Ratio est, quia reformatio intactam reliquit indictionem: ostendo ex Tabula A Exercit. 8. Mart. 1776, anno 1583 fuit indictio XI, sicut fuisse, si an. 1582 Calendarium non fuisse reformatum.

2.) Aureum numerum XI. utrobique. *

* Ostendo; quia annus 1777 incidit in quadrū undecimum cycli decennovalis ante, & post reformationem.

3.) Epactam juxta vetus calendarium ponit Imam, juxta novum XXnam. *

* Malè, quia Epactæ, per reformationem Gregorianam sat diu turbatæ, tandem ab anno 1700 redierunt in unam consonantiam veteres & novæ. Vid. l'Art de vérifier les dates pag. 34 ab an. 1700 usque huc, & compara epactas epactis d. Tabula.

4.) Cyclum solarem utrobique 22dum? *

* Vide in d. Tab. quadrū purpureum lin. curr. 9næ; & hinc numera usque in quadrū præsentis anni, ubi habebis numerum 22.

5.) Literam dominicalem in novo E, in veteri A; quam videt in parva tabula sub anno 22 ibidem.

6.)

6.) Inter
nacht,
dies
9 bebd

Eps
quent
cedid
in ar
alib: 3
1 dies
9 helio
canali
mudar

7.) Quò
manis

* /
mini 1
Pascha
Sed air
Calend

Chronie
dam

Censu
XXX der
bovenste
V solidos
diam. 7
duos denar
Mintzenbe
12.) Gode
nos. 34)

- 6.) Inter Natalem Domini, & Bacchanalia *Dominorum*, Herren Fastnacht, i. e. Dominicam Quinquagesimæ, numerat 6 hebdomadas 5 dies (verius 3 dies) juxta *novum* Calendarium; juxta *vetus* autem 9 hebdomadas unum diem. *

* Hoc postremum tempus ex eod. Exercit. part. I. §. V. pag. 20, ostendo ab Epista XX, ejusque Clavi XXXVI, literâ dominicali A, & hanc in Januar. sequente primâ litterâ G. Secundum *vetus* Calendarium hoc anno 1777 prima Jan. cecidisset in diem dominicam: à 7. igitur Jan. sive sabbato primo numera 36 dies, ita ut 11. Febr. fiat terminus Septuagesimæ, & die ejus 12 sit hæc Dominica: adde 36 illis diebus alios 14 dies, resulabunt 50; hos divide per 7, restabit 1 dies. Adde duas hebdomadas à Natali Domini usque ad Clavim, & obtinebis 9 hebdomadas. Sed rectius dicitur, hoc anno *INTER* Natalem Domini, & Bacchanalia *Dominorum* esse octo hebdomadas sex dies, aut à Natali usque èd 9 hebdomadas, ut unus ille dies abundet.

- 7.) Quòd antiqui Calendarii *Pascha* hoc anno se retardasset pro 4. septimanis. *

* Adhibe sepe dictam tabulam, ejusque *Paschalem terminum* in quadro hujus termini Limo: cecidisset is nempe in XVII Kal. Maji h. e. 15 Aprilis, & ipse dies *Paschæ* in 16 Aprilis, dum Pascha reformati Calendarii adest jam 30 Martii. Sed ait: sic tantum 18 diebus distabunt haec Paschata! Adjice vero 10 dies, veteri Calendario à Gregorio XIII Papâ subtractos, & obtinebis 28., sive 4 septimanas.

NODUS

Rei monetariæ medii ævi.

Chronicon Laurishamense nuper edit. Mannheim. scriptum Sæc. XII describit quosdam census antiquos perpetuos Tom. III. pag. 298. ut sequitur:

. Census de festo omnium Sanctorum. 1.) Huba Bertholdi de Gunzenbach XXX denarios. 2.) Henricus Advocatus XXX denarios. 3.) De Geilinges bovestete XXX denarios. 4.) De Marquardi XV denarios. 5.) Stephanus V solidos PRÆTER V denarios. 6.) Rathmarus tres uncias, & dimidiæ. 7.) Sifridus V uncias, & dimidiæ. 8.) Gotztrud V uncias, & duos denarios. 9.) Bernwelpus octo uncias, & dimidiæ. 10.) Cuno de Mintzenberg XXX denarios. 11.) Giselherus X solidos, & V denarios. 12.) Godebertus quatuor uncias. 13.) Jutta filia Friderici XXX denarios. 14.) Henricus filius Ingrami X. 15.) Methild XV. 16.) Hedwic

XVIII uncias. 17.) Franco VI uncias PRÆTER VI denarios. 18.) Bertholdus Schwende V uncias, & dimidiā. 19.) Fratres in Hagine XV denarios. 20.) Hildburc XX denarios. 21.) Radbodo de dimidiā bovestete XV denarios. 22.) In Palmis similiter. Hæc faciunt VI talenta XIII uncias & XII denarios.

Nota (s) Electoralis Societatis MANNHEIMENSIS desuper hæc est:

„ In laterculo hoc omni computus quinquaginta & sex unciarum, solidorum quindecim, & denariorum 259, nisi fallimur, continetur. Si omnia ex regulâ nostrâ ad uncias, redigas, prodibunt 77 uncia & 19 denarii. Hæc si talenta sex, & XIII uncias conficiunt, sequitur, TALENTUM valore suo PAULO INFERIUS fuisse MARCA, aut sex uncias; id quod supra pag. 202 jam observavimus; in summâ enim ista LXXVII unciarum sex marcas continentur, & quinque unciae. In denariis reliquis, quorum nos novendecim, Laurishamensis monachus duodecim tantum habet, levis error latet, alterutri imputandus, qui tamen non turbat circulos.

EXEGESIS.

Regula, ad quam appellant illustr. Academiæ Socii, certa est: nempe unciam constare 20, solidum 12 denariis; certum quoque est ejus ævi libram constare 12 uncias, seu 240 denariis. At in marcâ lapsi sunt: nam illius antiqui temporis marca non erat, qualis est hodie, dimidia libra, i. e. non erat 6 unciarum, quæ sunt 120 denarii, sed octo, quæ faciunt 160 denarios. *Vid. Tract. meum von Pfenningen, und Helleren Cap. 14.**

* Provocant illi pag. 202 Tomi III ad document. MMMDCLXVII de Haues-
cuesheim; ubi, ad verba: *de privatis hominibus in censu solvitur I talentum, & XVIII denarii*, sic notârunt: TALENTUM, Laurishamensis USUALE, MINUS fuit MARCA, quarum DUÆ LIBRAM conficiebant; supra enim in Chronicô Tom. I. pag. 274 scribitur: talenta octodecim, & dimidiâ surgunt in marcas XV.

POSTULATA.

Non esse erratum in ulla majorum numerorum prædicti documenti.

Definitio eorum, quæ in laterculo videntur esse obscuriora.

Dub.

Dub. 1.
præcedent
servit. Vic
rum latin
Calepini.
sive ex L.
stingente

* R.
Laurish
confianc

Dub. 2.
vero uncia

* R.
uncias
merus

Corolla

* Q.
lema
nam uic
verbas
talentum
centum
minor a
numeris

Dub. 3.
finita

Comp

Sunt erg

Dub. 1. An præpositio *præter* in documento bis occurrens, augeat præcedentem eam numerum, an vero *minuat?* Ad utrumque enim servit. Vid. Aug. *Barbosam* ad dict. partic. & ibi LL; exempla scriptorum latinorum dat *Promptuarium Trebellii*, & *Dictionary Ambros. Calepini*. Philip. *Vicat* hoc verbum simpliciter habet pro *citra, absque,* sine ex l. 3. *C. de silentiar.* I. ead. eodemque *C. Theod.* Sed *Barbosa* distinguenter fecit regulam, quam consule.*

* s. Hic *minuit* in posit. 5ta *solidum*, in 17ma *unciam* ultimam. *Ratio*, quia Laurisham. monachus, censum ulteriore adjecto aucturus, alias constanter utitur coniunctione *ET*.

Dub. 2. An in posit. 14 & 15 cifræ X, & XV volunt *denarios*, an vero *uncias?**

* R. Has volunt, tum quia in unâ oratione unciae subsequuntur, tum quia nî uncias sumas, surgeret in laterculi summatione absurdum, quod ejus *secundus numerus*, nempe 13 *unciarum*, *minor* non esset *uno* *talento*.

Corollarium 1. Unum talentum plus hic est, quam **XIII unciae.**
2. Ergo etiam plus, quam *libra*. *

* *Quærinus Veron.* in *Breviloquio vocabular.* edit. argentin. 1495 verbo *Talentum* sic ait: „est quoddam pondus, quod *summum* esse perhibetur in Græciâ; nam *nihil* est *calco minus*, *nihil* est *talento majus*; cuius pondus varium apud diversas gentes habetur: apud Romanos enim *talentum* est 72 *librarum*. Et est *talentum minus, medium, summum*: minus 50, medium 72 *librarum*, summum centum viginti est.“ Sic etiam nostra Germania habere potuit *respectiva* sua *talenta, minoria, & majora*, ac retinere, quod *talentum* sibi esset *summum pondus*, vel *nummerus monetarum*.

Dub. 3. An etiam positio 22 computabitur in summam?

s. Neg., quia isti XV denarii non cesserunt in festo OO. SS: unde tantum sunt *annotatione pro memoriâ*, neque cifris expressa.

Computatio denariorum, solidorum, & unciarum seorsim.

Sunt ergo hic nominati

<i>Denarii</i>	-	-	-	-	243
<i>Solidi XIV,</i> dant denarios	-				168
<i>Unciae LXXX</i>	-	-	-		1600
				<i>Summa omnium denariorum</i>	2011.

Qui dant universim 100 uncias, & 11 denarios. Hos 11 denarios aufer pro illis XII denariis, & patere, ut dicam, erratum fuisse sive à monacho computante, sive à describente autographum, quod XII denarios scriperit pro XI: levis error.

Subtrahie deinde de 100 unciiis XIII uncias summæ, quam habet documentum, remanebunt 87 unciae. Demum divide 87 uncias, in 6 talenta, & obtinebit unum quodque talentum $14\frac{1}{2}$ uncias, sive 290 denarios, qui faciunt $12\frac{1}{2}$ modernos argenteos unciales Galliæ Ludovicorum, non XIV, sed XV & XVI Regum.

Vides ergo talentum 1) plus hic esse XIII unciiis, sive 260 denariis. 2) Plus quoque illud esse librâ, sive 240 denariis, 3) plus denique marcas vetere, sive 160 denariis.

OBJECTIO.

At verò non concordat hic computus, sive hic denariorum numerus cum dicto Tom. I hujus Chronicæ pag. 274. Omnes ergo CCXCI marcas; TALENTA autem XVIII & DIMIDIUM, surgunt in marcas XV, & erit omnium (legatorum Heinrici abbatis Laurishamenis) summa marcas CCCVI: nam quindecim marcas dant 2400. denarios: his in $18\frac{1}{2}$ talenta divisis, cuilibet talento tantum attribueres $129\frac{2}{3}\frac{7}{7}$ denarios, rotundè 130., & sic sex talenta forent tantum 780 denarii, sive 39 unciae, & unum talentum $6\frac{1}{2}$ unciae.

R. Sic monachus ineptè constituisset VI talenta, XIII uncias, & XII denarios; cùm debuisset potius dicere VIII talenta, & XII denarios: sic totus laterculus in unciiis, solidis, & denariis tantum complexus fuisset 52 uncias, & XII denarios. Quod cùm dissonet à laterculo, dicendum, in passu opposito allud genus talenti sumptum fuisse, quām in nostro.

Discrimen supputationis Editorum Chronicæ à nostrâ.

1. Putarunt illi denarios 259 benè addendo: ni fallimur; forent enim 258. Nos autem 243.
2. Illi solidos XV. Nos tantum XIV.
3. Illi uncias 56. Nos verò 80.
4. Illi universim uncias 77, & 19 vel potius 18 denarios. Nos 100 uncias & 11 denarios.

5. Illi

5. Illi *subtractis* XIII uncias, quae sunt in summâ monachi Laurishamensis, haberent 64 residuas, pro VI Talentis: 64 unciae sunt 1280 denarii; caderent in unum talentum 213 $\frac{1}{2}$ den. Forétné hoc idem talentum, de quo Tom. I Chronici pag. 274? An ejusmodi talenta 18 $\frac{1}{2}$ surgeant in 15 marcas, quas illi ponunt *medianam libram veterem*, sive 6 uncias? Deberent sanc 3946 $\frac{2}{3}$ denarii surgere in 1800 denarios: clarum igitur est, quòd ex passu illo Tomi I nulla lux affundatur huic nostro laterculo Tomi II.

ALIUD.

In ejusdem Chron. Tom. I. pag. 216 recensentur antiquæ monetae censuum, & quidem nominatim

1mō Talentū 14 $\frac{1}{2}$. 2dō. Libræ 9. 3tō. Marcæ 41. 4tō. Unciae 109 præter 4 denarios:*

* Intelligo uncias 108 & 16 denarios, diminuendo ultimam unciam pro 4 denar.

5tō. Solidi 13.

Videamus, quot unciae hīc eant in unum talentum; quia summa pecunaria omnium horum ista subjungitur: *summa igitur totius censūs est LVIII Talenta, V unciae, & VI denarii.*

Sic autem procede: (1.) Detrahe illa 14 $\frac{1}{2}$ talenta de summatis 59 talentis; supersunt 44 $\frac{1}{2}$ talenta.

(2.) Redige 9 libras in uncias: dabunt (12 unciiis in libram putatis) 108 uncias.

(3.) Redige etiam 41 marcas in uncias, (8 unciiis in marcām conjectis) dabunt illæ 328 uncias.

(4.) Redige demum 13 solidos in uncias: obtinebis 7 uncias, & 16 denarios. Habet igitur ex redactis, quæ nominatim ponuntur, libris, marcis, & solidis, 44 $\frac{1}{2}$ uncias, & 16 denarios.

His adde (n. 4. supra) 108 uncias & 16 denarios:

Obtines 552 uncias & 12 denarios.

De his detrahe illas 5 uncias, & 6 denarios, quos habet Summa documenti ultra 59 talenta: Remanent pro 44½ talentis 547 unciae, & 6 denarii: cedent cuique talento 12 unciae, & ferè 6 denarii.

Vides hinc (1) *Talentum esse majus librā, & marcā.* *

* *Proba oculo insilit; nam 547 unciae faciunt 45 $\frac{7}{2}$ libras; marcas verò 68 $\frac{1}{2}$.*

Vides 2.) *Talentum hujus documenti minus esse talento præcedentis hīc documenti, quod ultra 13 uncias tenuit.*

Vides 3.) *Majus autem illo talento, de quo Tomus I pag. 274, esse hoc talentum.*

ALIUD

ex Tom. III. pag. 205. Rubricas Winheim.

” *D*e privatis viris ac mulieribus solvuntur *duo talenta, quatuor denariis minus, quādō octo unciae.* Quomodo cunque intellecteris hunc passum, non concordabis eum cum passu *Tomi I pag. 274.* Intellige 1) *2 talenta & 8 uncias minus 4 denariis,* talentum plus erit quādō 156 denarii: Intellige 2) *quodque talentum solvi per 8 uncias minus 4 denariis,* erit unum quodque 156 denariorum. Intellige 3) *duo talenta simul fistere octo uncias minus 4 denariis,* cuique talento cedent tantū 78 denarii. Unde manifestum fit, in hōcē Chronico *talentum diversimodè intelligi.*

Alia species TALENTI ex re monetariâ Trevirensi.

*C*omputus Præsentiarie S. Simeonis de an. 1474 & 75 in uno laterculo sub rubro: *de parvis festis in 45 positionibus, incipiendo à festo Dionysii, desinendo in festo Cosmæ, & Damiani, promiscuè continet XXXIV & diuiditum Talenta.*

XXII libras, Psunde.

CXXI solidos, Schillinge, intellige verò minimos, quasi Sols Gallorum. Hæ tres species summantur per 9 florenos, 4 albos, 5 solidos.

Q. 1. *Quot solidos hīc continet talentum. Aëstimando rem ex florenis, albis, & solidis?*

R. So-


R. Solidus est sexta pars istius albi: *albus 24ta pars istius floreni: sunt ergo universim 1325 solidi.* Libra una tenet 20 solidos: sunt 22 librae; ergo 440 solidi ex eis redacti, quos subdue 1325 solidis: remanent 885 solidi; subtrahe porro (ob tertiam positionem dicti laterculi) 121 solidos, residui sunt 764 solidi: hos partire in $34\frac{1}{2}$ talenta, obtinebit quodque horum $22\frac{1}{8}$ solidos. Vides hinc rursus, minutum hoc talentum esse respectivè ad libram minutam majus.

Q. 2. Si hoc parvum talentum Trevirense figatur in 22 solidis, quantum puri argenti continebat, per quod hodie repræsentandum esset?

R. Hoc aestima à solidorum tenore: solidus tenuit $1\frac{7}{8}$ momentum argenti 16 lothonum, sive 12 penningorum: igitur 22 solidi tenuerunt momenta $31\frac{5}{8}$; dum libra tantum continuit $28\frac{3}{4}$.

Q. 3. Illi 24 Albi, qui an. 1474. constituebant florenum nostri laterculi, cujus erant faciei, ponderis, & legis?

R. Faciem exhibeo, à nemine adhucdum ære excusam: habeo autem quinque: adversa habet: JOHannes ArchiEP': aversa: MONEta NOVA CONFLuentina: ex quo patet, hunc album fuisse post annum 1464 cusum, quo placuit quatuor Electoribus Rhenensibus *Albus rotatus*, de quo Q. 4; quia in hoc albo Joannes jam se scripsit Archiepiscopum, in albo rotato tantum electum & confirmatum. Cusus est autem hic albus unitim cum solo Coloniensi; quod indicant duæ crucis extra eudentis Joannis scutum.




Horum ex marea partitio non est æqualis; qui aliis præponderant, nonnisi 23 momenta sistant: sunt legis 6 lothonum: quisque ergo tenet $8\frac{5}{8}$ momenta argenti 16 lothonum: & sic eorum *viginis quatuor*, sive ejusmodi florenus anni 1474, dederunt $199\frac{1}{2}$ momenta, quæ per 68, i. e. drachmam, divisa conficiunt $2\frac{63\frac{1}{2}}{68}$

drachmas: Compara nunc isti floreno 24 alborum simplicium modernum Trevorum florenum, qui nobis audit Mosellanus, ein Mosel-Gulden, & per 24 parvos Petros, Petermängler, sistitur; accipe eos, qui omnium optimi adhuc hodie currunt magnâ copiâ, b. m. Electoris nostri *Caroli Caspari à Petri* singulis 6 mo-

6 momenta argenti meri; superabuntur moderni floreni Mosellani per predictos Joannis Badensis florenos simplizes $55\frac{1}{2}$ momentis, sive 9 parvis Petris, & quartâ unius parte, nempe 24 illorum alborum nunc essent fistendi per $33\frac{1}{4}$ partos Petros: Fuit hæc moneta de genere illarum, que vocantur provinciales monetæ, Landmünzen, servientes tantum cursui per provincias illorum, qui eis cederant, nec sunt divisores legalium Imperii monetarum. Sic ille communis Trevirorum & Colonienium florenus, duplicatus, pro floreno rotato 24 alborum rotatorum, qui an. 1464 quatuor Rheni Electoribus placuit, non erogibatur; neque enim erat dimidiatus Florenus rotatus, constans 24 Solidis rotatis, Rader- oder Nedder-Schillingen; sed erat Florenus simplex ein schlechter, i.e. einfacher Gulden; Sic habebis illo tempore triplicis generis Albos, 1) simplicem, 2) dimidium rotati, 3) Rotatum. Ex 24 dimidiis albis rotatis derivatus est modernus Florenus Rhenensis 12 g avium, 15 Rhenensem bacionum.

Q. 4. Quæ facies, pondus, & lex, Schrott und Korn, erat Albis rotatis nostri Joannis Badensis?

En faciem:



Inscriptio est: IOhannes ELEC'tus ET CONF'irmatus T'revirensis; in aversâ: MONETA NOVA COVE'lensis. Dederunt eandem jam Rmus & Excellimus D. Suffraganeus AB HONTHEIM in Tomo II. H. D. T. pag. 885. num. XXII; & post hunc clariss. D. Professor Joan. Frid. JOACHIM im Großen-Cabinet vier-ten Band tab. XIII. num. III. Cusus est communi placito quatuor Principum Electorum Rhenensium, ut docent seuta, scilicet, Adolphi Moguntini, Joannis electi & confirmati Trevirensis, Ruperti ex Domo Palatinâ, electi & confirmati Coloniensis, Friderici Palatini, cognomento victoriosi, anno 1464 feria V post Di-
nyssii i. e. 12 Octobr. ita convenientium:

Man soll Wissennung schlagen, die sullen halten VIII Penning (i. e. $10\frac{2}{3}$ lothones) NB. Kunigssilbers; und sollen solcher Wissennige wisse schone gemacht und ganz zubereit C und XIII und nit mehr ein Collsche Marck wiegen, und XXIII der Goldgulden eynen gelden. Prodromus H. D. T. Tom. 2. pag. 1181. Debere unusquisque Albus rotatus esse gravis $38\frac{62}{113}$ momentis: sed non sic excusi sunt, ita, ut summatim estimari possint pendere singuli duntaxat 37 momenta: hæc 37 multiplicata per legem $10\frac{2}{3}$ lothonum, & multiplicatum distribue in 16 Albos rotatos, resul-

resultabunt $394\frac{2}{3}$ momenta, quæ si distribueris in 16 Albos rotatos, dabuntur cuique $24\frac{2}{3}$ momenta argenti regii: hoc regium reduc ad purum putum argenutum, multiplicando prædicta $24\frac{2}{3}$ momenta per 15, provenient 370: distribue in 16, accipiet unusquisque Albus rotatus $23\frac{2}{15}$ momenta puri argenti: 24 tales Albi sistent 555 momenta; eritque florenus rotatus in puro argento melior unciali 15 lothonum 45 momentis; in argento regio autem superabit unciam talem 49 momentis.

Q. 5. Quot hallenses valuit iste Albus rotatus?

R. Hoc dicit prælaudata quatuor Electorum conventio, nempe XII; & sic *Albus* diuidius rotatus, der Naderschilling, VI *hallenses* NB. *rotatos*, quos noli cum Solidis Q. 2. commiscere. Sie fullen auch Heller thun moenken, die da halten IV Pensige fyns Sylbers, und derselben fullen LII eyne Leit wygen, und XII der obgerürtten Wysspenninge eynen Gelden. Ibid. *

* Pondus ergo ejusque horum *rotatorum Hallensium* erant $5\frac{3}{4}$ momenta, Germanis Esger, lex autem $5\frac{1}{3}$ lothonum, five 5 lothonum & 6 granorum, gran; multiplicata totum pondus per legem totam; & multiplicatum divide in 16 hallenses, accipiet quisque $1\frac{2}{9}$ momentum; facit propè $1\frac{3}{4}$ momentum. Sed iste Hallensis, divisor monetae *rotatæ*, non erat idem cum illo *solido parvo*, quorum 6 stiterunt *Album simplicem* sub Joanne Badensi, ut denuò moneam.

Q. 6. Quām bonus fuit intrinsecūs ille florenus auri, quem æquabant illi 24 albi rotati, five florenus rotatus in argento?

R. Hoc disce ex sepedicta conventione an. 1464. Sollen Gulden geschlagen werden, der ilicher halten soll XIX Graet fyns Golts aus dem Zicment, sunder remedium, und mit dem Striche gleich sy der Madlen. Und derselben Gulden schoene gemacht und bereit fullen C und III und nit mehe uff anderehalb Collnische Märkte gewiegen gehen. Habebant ergo hi floreni 19 partes meri auri, & 5 argenti vel cupri. Pendit quisque $63\frac{45}{103}$ proximè $63\frac{7}{15}$ momenta: continuit ergo $50\frac{9}{412}$ momenta auri purissimi, i. e. 24 caritarum. Quæ fuit tunc proportio *auri meri* ad *merum argentum*? R. Undecupla, & $\frac{1059}{2089}$; Vidisti enim supra, quod 24 Albi rotati stiterint 555 momenta meri argenti; hæc confer $50\frac{9}{412}$ momentis meri auri.

HISTORICUM

De portâ inclytâ Trevirorum in nummis Romanis.


Ex veteri urbis nostræ fortunâ duæ supersunt portæ, nempe in supremo mœnium angulo versus clivum S. Crucis & Oleviam *porta alta*, D vul-

vulgariter die Altpfort, dicta: quæ cœsto latere, pluribus utrinque fornicibus altis, ædificata, licet in suis alis plurimum fracta, & in fastigio non minus passa, cum non sit testo munita, adhucum quotidiano usui servit, urbique claudendæ, quæ certò Romanos habet conditores. Altera versus Ruveram infra Treviros decumanano lapide sabuloso ac friabili quadro, rudi, & nigricante ab ima terra usque ad teftorium mirè exsurgit: iconem septentrionalem exhibet Prodrom. H. D. T. pag. 16: ab an. 1035 per Archiep. Poppoñem, ex Domo Babenberga, in templum, cui S. Simeonis Confess. intervint Canonici, conversa est, portis duabus altis, quæ juxta se stant, terrâ repletis, & magno aggere, tam versus forum urbis quam versus campum Martium opposito, clausis: quod stupenda molis opus, sine Romanæ, an Gallice ante ingressum Julii Cæsarî in Treviros, manu, discordant Antiquarii nostri.

Aliam portam præcipuam laudat MStus Joan. Linden Sæc. XVII. S. Simeonis Canon. his verbis: *INCLYTA* demum *PORTA*, flumini proxima, efferendis, & recipiendis mercibus opportuna, cæteris cultior, auro, argento, marmore ornata, idéoque *INCLYTA* dicta fuisse perhibetur, huic portæ vicina fuisse lumina, & carbunculi nocturno tempore navingantibus lucem preferentes & præbentes, ne impingerent. Et Jacob. Masen. in additam. ad C. Brower. cap. 21. Proparasceves: *QUARTA* occidentem versus ad Mosellæ allabentis littus excitata porta erat, quæ illustri specie artis, & magnificentiâ operis cæteras longè superabat: ut ab ipsâ structuræ elegantia *PORTA INCLYTA* diceretur. Hec porta aureis fiderum figuris exornata, & nocturno tempore succensa, ac latè coruscans lumine navingantibus Phari loco proposita, ipsum quoque urbis portum gratâ luce collustrabat. Sed hujus nec vestigium superest. Hyperboles suis fino authoribus, præcipue cum desint idonea instrumenta ad eas firmandas. *Inclyta* dici potuit sine auro, argento, marmore, carbunculo, quasi πόλιν τῆς πόλεως λαμπρά, porta urbis splendens ut lampas. Hanc puto exhiberi in nummulis æreis Treviris percussis, quos nemo nostratum hucusque edidit: en illorum quatuor. Quid tibi videtur? Si recte inveni portam *inlytam* in nummo, tu fundamenta quære sub terrâ; reor autem, quærenda esse supra pontem ad suburbium S Barbaræ.

Con-

I.




CONSTANTINUS AUG.

PROVIDENTIAE AUGG.

Ad pedem portæ locus signati nummi oblitteratus est.

II.




Flavius Iulius Constantius nobis, i.e. nobilis Cæsar.

PROVIDENTIAE CAESS i.e. Cæsarum.

STRE i.e. signata Treviris.

PTRE i.e. percussa Treviris.

III.



IV.



DN GRATIANUS Pius

Felix AVGustus

GLORIA ROMANORVM

SMTR. i.e. signata moneta Treviris.

In tribus primis stella supra portam videtur indicare, eam fuisse lu-
ciferam nocti: mirum, quod quartus pro figurâ stellæ habeat
hujus verbi vel sideris initialem literam.

I. O. H. D.

IN

PA

PRO

GEO

Be

ON

INC

Post e

CHOL

lo latere, pluribus utriusque i
plurimum fracta, & in ha
bita, adhucudum quotidiano
Romanor habet conditores.
curnano lapide fabuloso ac fer
erra usque ad teckiformem mis
er Prodrum H. D. T. pag. 10
Dom Balen ergid, in temp
onici, conversa est, paris ad
itis, & magno aggre, tam ve
Martium oppolito, clauso
, an Gallicae ante ingrediens
ant Antiquariorum no[n] tri

MStus Joan. Linden Sc. VI
LYTA demum PORTA, per
percibus opportuna, cetera
que INCLYTA dicta fuisse
5 carbunculi nocturni rous-
tes, ne impingereat. p. 21. Proparalceves: quod
littus excitata portans
eris easter longe superato.
LYTA diceretur. Haec
tempore succensa, ac latra-
ta, ipsum quoque urbis primi
signum superet. Hydriae
idonea instrumenta ad estra-
argento, marmore, car-
pora urbis splendens ut in
Treviris percussis, eas
am quaror. Quid rha-
mimo, in fundamenta que-
ra possem ad suburbium? Hoc

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches

Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Purple patch	Light blue patch	Light green patch	Light yellow patch	Light red patch	Light magenta patch	White patch	Light pink patch	Dark grey/black patch

